



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.14. Pipinus secundo ungitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

ris. Surge, & hoc Altare in honorem Sæcul. VIII.  
Dei & Apostolorum suorum, quos vides, A. C. 754.  
dedica, Missam gratiarum agens. Mox-  
que sanus Dei gratia factus volebam im-  
plere, quod mibi præceptum erat, & di-  
cebant, qui ibi aderant, quod delirarem.  
Quapropter retuli illis tum Regi & Pro-  
ceribus, quæ videram. Gesta sunt hæc  
anno 754. vigesima septima Julii, & al-  
tera die vigesima octava, quæ erat Do-  
minica, illud Altare, sicut ipsi præceptum  
fuerat, consecravit.

#### §. XIV.

*Pipinus secundo ungitur.*

Stephanus Papa inter illius Missæ sole-  
mnia aliam Cæremoniam memoratu-  
magis dignam implevit, dum secundo *Frag. ap.*  
Pipinum & duos ejus filios Carolum & *Greg. Turo.*  
*p. 991.*  
Carolomanum cum Bertrada Regina  
unctione olei in Reges Franciæ conse-  
cravit, atque Francorum Proceribus Au-  
toritate S. Petri sub Excommunicatio-  
nis poena prohibuit, ne unquam vel ipsi  
vel eorum filii ex alia propagine sibi Re-  
ges constituerent. Childerici, Regum *Coint. an.*  
ex prima stirpe ultimi, obitus, nam hoc 754. n. 38.  
anno in Monasterio S. Bertini decessit,  
novæ Pipini unctioni ansam dederit.  
Tunc etiam Papa Regem & ambos ejus *ibid. n. 57.*  
filios Romanorum Patricios appellavit,  
quo ad defensionem Urbis Romanæ susci-  
pien-

**Sæcul. VIII.** piendam stimularentur. Baptismus quoque duorum Principum adolescentum usque ad illud tempus dilatus fuisse creditur, & Papa eosdem e sacro fonte levasse; nam in pluribus Epistolis Regem Pipinum Compatrem spiritualem, Reginam Bertradam Commatrem, & duos Principes filios suos spirituales dicit.

**Steph. III.** His Titulis, quibus Religio venerationem pariebat, ornari illa ætate honori ducebatur. Ceterum Regem Pipinum

**Conc. p. 1718** Reginam Bertradam dimittere cogitatem cohibuit Papa, cuius salutaribus monitis obsecutus est Rex; & inde forte est, quod una cum Pipino uncta fue-

**Hild. Areop. rit.** Papa magnis privilegiis Abbatie S. Dionysii collatis supra Altare etiam reliquit Pallium suum, quod hodieum

**Valaf. c. 25.** in illo Monasterio asservatur. In illa tandem commemoratione Stephani Papz in Francia Clerici, qui eum comitabantur, rogante Pipino, meliorem cantum Francos edocuerunt, qui cantandi modus deinde in plures Ecclesias propagatus est.

### §. XV.

#### *Bellum in Longobardia.*

**Anast.** Quamvis statutum esset, bellum in Longobardos movere, nihilominus Rex Pipinus suadente Papa Legatis ad Regem Aistulphum tertio missis pacem obtulit, magna